

PILLE

Pillé (Alexandre Louis)

DISSERTATIO MEDICA

DE MILIARIBUS ACUTIS,

QUAM

In Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi,

Deo duce, & auſpice Dei-parâ, ab horâ octavâ ad meridiem, propugnabat Alexander-Ludovicus Pillé Montargienſis Diocœſis Senonenſis apud Campanos, Author, Artium Liberalium Magiſter & jamdudùm Medicinæ alumnus, die ſecundâ menſis Martii anni 1773.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.




MONSPELII,

Apud Augustinum - Franciscum Rochard, Regis & Univerſitatis Medicinæ, Typographum unicum.

M. DCC. LXXIII.

Non ex intellectis causis, sed ex observatione fideli effectuum morbos cognoscere & curare. *Vanswieten* §. 587. *pag.* 55. *tom.* 2.





ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE VIRO
D. D.
FRANCISCO-DAVIDI
HERISSANT,
SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS
DOCTORI REGENTI,
REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ PARISIENSIS,
NEC-NON
REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS SOCIO,
Antiquo Anatomiæ, Chirurgiæ & utriusque Pharmaciæ in Scholis Medicorum Professori.

VIR ILLUSTRISSIME,

Ut tibi laborum primitias consecrem, jamdudum erat animus; fœderis quod te carissimæ Sorori meæ jungit, ob maritum ejus ab illustri Familia ortum (1), *memoria; locus quem meritò inter doctissimos Viros obtinuisti me impulerunt ut mentem tibi meam aperirem; benignitas quâ mihi respondidisti vota explevit mea.*

Quæstio quam tractandam suscepi ardua


(1) De la Hire.

est : illud probat magna Autorum inter se discrepantia ; litem solvere tironi rudi & inexperto non decet, sententias eorum qui rectiùs de Febre Miliari scripserunt attentè perlegi & mecum volutavi, ex quibus opusculum meum constari patebit. Tanta opinionum diversitate permotus, & virium tenuitatis meæ haud inscius in limine hærebam ; ast in meam utilitatem & civium emolumentum lubens periculum aggressus fui ; me de iis benè meriturum existimavi, si morbo qui sævissimas in Patria strages edit depellendo totis viribus me dederem ; Lectoremque indulgentem fore confido, dùm rationis quæ me movit certus erit.

Quid mihi optabilius evenire poterat Vir eruditissime, quàm te Mæcenatem habere cujus nomen suprà laudes ponitur, te semper Medicis dilectissimum reddent præstantissimi commentarii, dolere non desinent quòd, infirmâ valetudine, opera perfectè absolvere non possis. Utinam tibi placeat mea Dissertatiuncula ; enixè saltem te rogo ut illam grato & benevolo accipias tanquam æternum meæ observantiæ specimen,

VIR ILLUSTRISSIME,

Humillimus, addictissimusque
Servus PILLÉ.



DISSERTATIO MEDICA

DE MILIARIBUS ACUTIS.



ILIARIA Gallicè dicta *le Millet*, pustulæ nuncupantur quæ per totum corpus sparsæ in vesiculas sero plenas evadunt granum Milii referentes. Humor quem continent excolor est vel rubellus, unde dividuntur in alba & rubra : febrem comitem habent, vel illâ carent. Priora vocantur acuta, altera verò chronica, vel scorbutica Hoffmanni, de prioribus tantum hîc agemus.

De origine Miliarium disputatur, quidam Hypocrati nota esse volunt, tempore Foresti & Riverii apparuisse contendunt alii, ad epidemiam Lipsiæ illius epocham ponunt plurimi, in quâ morbus puerperas

tantùm aggressus fuit, hôc omnes cives posteà conflictati sunt & sensim nullò ætatis discrimine ad plures provincias se extendit, undè Germaniam, Helvetiam, Galliam, Italiam invasit. Huic disquisitioni brevitatis causâ non diutiùs immorabimur, qui plura desiderabit eximia opera celeber. Fanton & Allioni adeat.

Benigna vel maligna adest Febris Miliaris, simplex vel composita, non-nunquam epidemicè grassatur, & sæpiùs singularia duntaxat subjecta inficit. Cum pluribus aliis morbis sociatur, illis succedit aliquando, nec-non illos præcedit; (a). Fallax est & sæpè Medicum ludit, nempè æger moritur postridiè quàm meliùs se habuit, & spem magnam ostendit, illud confirmatur observatione sequenti. Puerpera mihi cognita præter omnium expectationem obiit, cùm pridiè valdè symptomata remisissent, & vesperè sanæ similis tanquam mali sui immemor collocuta esset cum familiaribus, ejusque facilis, jucundus & joculatorius sermo fuisset (b). Interdum larvatus morbi alius incedit. Communi Medicorum observatione cons-

---

(a) Collin. Dissert. de Feb. Mil. p. 56.
(b) Fanton. observ. de acut. Feb. Mil. p. 177.

tat Miliaria in febribus catharralibus malignis plerumque oriri : cum variolis, morbillis, pleuritide conjungitur, albæ cum rubris immiſcentur aliquandò puſtulæ, nec-non eodem tempore apparent petechiæ, ſub formâ intermittentis ſe prodit etiam (*c*).

Mulieres præ viris huic morbo magis obnoxiæ ſunt, inter quas nobiliores, delicatæ, fluore albo affectæ, puerperæ, præſertim illæ quarum partus laborioſus, vel infirma fuit graviditas, viros lautè viventes otioſos, laxo habitu & temperie phlegmaticâ præditos invadit Febris Miliaris; ſenes & infantes priùs adoritur quàm adultos, in hanc febrem faciliùs delabuntur qui morbo præmiſſo debilitati, & magnas evacuationes perpeſſi ſunt, hyſtericæ & hypochondriaci.

Signa quæ Febrem Miliarem denunciant enumerare nunc nobis incumbit.

Incipit febris continua cum ſummâ totius corporis debilitate, horrore & æſtu frequenter alternantibus, laſſitudinibus ſpontaneis: horripilationi ſuccedit calor moderatus, vires languent, deficiunt, pulſus frequens, inæqualis, parvus, plus

---

(*c*) Balgui Epiſtol. ad Joannem Fordice.

minus-vè contractus est, anxietatibus & cephalalgiâ laborat æger, illius somni phantasiis perturbantur quibus dolet dum expergesit. Adsunt sæpè nauseæ, vomitus, calor fit acer & mordax: si cutis primis diebus sit arida, brevi madesit, superveniunt sudores qui aliquandò usque ad febris declinationem persistunt. Nec profectò morbi adventantis jam-vè præsentis ullum observare potui certius signum quàm immanes quibus ferè ægroti resolvuntur sudores, quanquam nec lecti calore, nec victu intemperato, nec medicamentis fuerint eliciti *(d)*. Siti maximâ torquetur æger, præcordiorum angustiâ & inquietudinibus vexatur, languores experitur qui in animi deliquia mutantur si in lecto se erigere velit, difficilis est semper respiratio & anhelosa; languores, irrequies, corporis jactationes certò Febrem Miliarem indicant, licet nondum eruperint pustulæ. Quandoque evenit ut febris appareat cum symptomatibus quæ Miliarem stipantur, absque eruptione, undè tunc temporis vocatur Febris Miliarisans (*e*). Maximè proni sunt ægrotan-

---

(*d*) Fordice Historia Feb. Mil. p. 28.
(*e*) Fischer de Feb. Mil. p. 74. §. 21.

tes ad ſudores copioſos, olentes, fœtidos, totum illis aliquandò perfunditur corpus, imo antequam eruptio fiat ſimile quid exhalat è laxatis jamjam cutis oſculis, ea ratione ac in proditurīs variolis & morbillis deprehenditur, cùm ſingularis nareſque feriens per totam cubilis atmoſpheram diſperſus fœtor ex ægri corpore erumpit. Alta ſuſpiria edunt ægrotantes quæ inſtanti eruptione adaugentur, necnon reſpiratio fit difficilior, inſomniis ſuccedit delirium, ſi febris ſit maligna, fere ſemper adeſt tuſſis ſicca, urinæ initio copioſæ plerumque ſunt crudæ, limpidæ (*f*): alvus aliquoties adſtricta & aliàs laxa eſt, tremunt manus, convulſionibus ægri corripiuntur, ſæpiſſimè dolore capitis conqueruntur, illarum arteriæ meſentericæ validè etiam pulſant, (annuente clariſſimo Debreſt) quod indicium ultimum eſt exacerbationis per quam ingraveſcunt ſymptomata.

Die tertio vel quarto citiùs ſeriùs-ve (nullus enim definitus eſt dies) exacer-

---

(*f*) Urina non nunquam fere ut aqua communis pallida, aliàs naturalem præ ſe fert colorem, quo ſymptomate decepti juniores Medici frequenter ad vapores uti vulgò loquuntur, referunt. Hamilton de Febr. Mil. p. 382.

bationis tempore pruritu & punctura afficiuntur ægri quem ſudoribus tribuunt, quique per totum corpus diffunditur: cutis fit aſpera anſerinæ ad inſtar, innumeræ apparent puſtulæ albæ vel rubræ quæ aliquoties in cryſtallinas mutantur, variamque adipiſcuntur magnitudinem (*g*). Sedem habent præcipuè in collo, pectore, rariùs apparent in facie quanquam mulieris totum quoque caput veſicularibus puſtulis opertum fuit (*h*), pedes & manus aliquandò nec-non ceteras corporis partes afficiunt. Interdum puſtulas cutaneis propè ſimiles in palato & faucibus Medici obſervarunt. De aphthis linguam operientibus loquitur Hamiltonus quæ intereà dùm augentur exterioris corporis papulæ deprimuntur & viciſſim. Aphthas quoque Junckerus inter effectus annumerat recedentis purpuræ rubræ, quâ iterum prodeunte, ſenſim illæ evaneſcunt. Notari pariter meretur quod quandoque illis in locis ubi aphthæ vix occurrunt obſerventur exanthamata milia-

---

(*g*) In tantam magnitudinem puſtulas excreſcere conſpeximus, ut varioloſas veſiculas ichore plenas æquarent ſeque mutuò contingerint. Mollinari de Feb. Mil. p. 46.

(*h*) Fanton ibid. p. 46.

ria dicta, alba & rubra in externâ corporis superficie. An tunc ad externam cutim deponitur simile quid ac in aliis locis per corporis superficiem dispergitur (*i*)? Ubi eruptio facta est symptomata mitigantur, opacantur pustulæ aliquot dierum spatio coquuntur, exarescunt, & sensim per squammulas secedunt.

Hæc sunt quæ evenire solent si res bene cedat in casu verò contrario valdè debilitantur ægri, vires eorum obruuntur, siti maximâ torquentur, interiora exæstuant, salutem desperant, anxietatibus magis urgentur, sudore frigido perfunditur corpus, pulsus fit frequens, inæqualis, parvus, tremulus, delirium adest obscurum vel coma somnolentum, tendines subsiliunt, convulsiones aliquando necnon phrenitis mortem in limine esse prænunciant.

Hæc symptomata plus minus-ve sunt intensa ratione morbi benignitatis vel malignitatis.

Non desunt causæ remotæ quæ Febri Miliari ansam præbere valent v. g. animi pathemata qualia moeror & sollicitudo, transpirationis insensibilis suppressio, lo-

(*i*) L. B. Vanswieten commentar. t. III. §. 982.

chia retenta & lactis retrocessus apud puerperas (*k*): ad hunc morbum disponunt etiam magnæ evacuationes, hemorrhagiæ nimiæ, vigiliæ, meditatio, vita otiosa, aer vappidus, æstas nebulosa & pluviosa nec-non alvus adstricta, & sudores nimis protracti.

In naturæ involucris penitùs obvolvitur causa proxima. Multæ de eâ prolatæ sunt opiniones quas delineare nobis est animus. Alii existimant Febrem Miliarem pendere à nimiâ copiâ, lentore & acrimoniâ tenuium humorum vasa subcutanea oppilantium. Acidum esse miasma Miliare vult Hamiltonus & in hunc finem absorbentia tanquam efficacissima remedia proponit. Natura hujus morbi est inflammatoria ac putrida secundum Doctorem Planchon in cujus rei confirmationem multa protulit (vide eximiam dissertationem (*l*)). Qualiscumque demum sit, inquit Hoffmanus, ex vitiato corruptoque in corpore succo oritur. Singulare virus esse naturæ incognitæ multi asserunt, constare substantia tenuissima exstimulanti

(*k*) Puzos, Traité des accouchemens p. 379.

(*l*) Planchon Differt. sur la Fiévre Miliaire, art. III. p. 61. 62 &c.

veneno prorsùs æquiparanda contendit celeber. Allionius, unanimi consensu nervos affici compertum manet, huic sententiæ maximè adhæret experientissimus Fischer cujus observationem huc revocare non alienum fore putamus: Neonupta viginti annorum, nocte à celebratis nuptiis media, sine causâ ridere, mox quiescere, rursusque ridere incipit. Cum risum continere studet, præcordia opprimuntur cum anxietate, insequitur febricula: dantur diluentia, aquæ diapnoicæ pulvis antiepilepticus, liquor. miner. Hoffmanni & alia. Risus pedetentim minuitur, corpus madore afficitur, & tunc in pectore jugulo & facie, purpura rubra & alba apparet. Commode itaque sub diæta, per juscula diluta carnea, cum incoctis radicibus scorsoneræ, herbarum chærefolii aliisque convaluit. Act. Helvet. vol. 1. p. 47. quis hanc excretionem Miliarium idiopathicam fuisse negabit & quidem ex irritatis nervis uterinis, qui non solùm intercostales ad risum coëgerunt, sed etiam omnem nervorum succum ad orgasmum halituosum excitarunt? annotat etiam Vir illustrissimus quod hæc excretio unicè partes superiores affecerit, quæ in tali venerea irritatione, ex sanguine per moram, circà respirationem stagnante

rubeſcunt & turgeſcunt (*m*). Acerrimum eſſe miaſma miliare non dubitabant nonnulli, quod ultimum probatur experimento per-illuſtr. Storck, qui lympham Miliarem deguſtavit, linguamque ejus acriter & valdè pungi aſſerit.

Nunc examinandum venit an Miliaria ſint critica vel ſymptomatica.

Hæc quæſtio multùm agitata fuit inter Medicos & diverſis opinionibus ortum dedit.

Obſervatione patet Miliarium ſymptomata illicò ceſſare, eruptione factâ, vel ſaltem minui. Præterea graviſſimum diſcrimen retropulſa Miliaria ſequitur, quod millenis probatur exemplis, nempè ægri aliquandò mortui ſunt ubi evanuerint puſtulæ.

Clariſſimus Marteau refert (*n*) febrem adeſſe malignam epidemicam, comite phrenitide, cui, mitigatis inflammationis ſymptomatibus, ſuperveniebant 11. vel 14. die Miliaria cryſtallina quæ morbum ſolvebant. Critica obſervavit illa illuſtr. Planchon, nec-non ejus collega duas pleuritides veras Miliaribus albis ſolutas vidit

---

(*m*) Fiſcher. ibid. p. 47.
(*n*) Journal de Méd. tom. 8. p. 279.

(*o*). Plures hiſtorias huic ſimiles retulit per-illuſtr. Storck, alias facilè recenſeremus quas brevitatis causâ mittimus.

Diſſimulandum non eſt attamen ſymptomatica fieri poſſe, licet rariùs eveniat. Hanc opinionem acriter defendit magnificus du Haen pluribus innixus obſervationibus, imo Miliaria ſemper à regimine calido & medicamentis ſtimulantibus repeti aſſerit (*p*), quod validè improbatur à celeberrimis viris (*q*).

His omnibus inter ſe collatis & rectè perpenſis, ſi tyroni inexperto mentem ſuam aperire liceret, ſententiæ Haenii, quamvis ejus autoritas maximi ſit ponderis in arte Medicâ, adhærere nollemus, potiùs verò exiſtimamus cum Doctiſſimo Collin, morbum Miliarem meritò numerandum eſſe inter illos qui ad cutim materiem morboſam criticè determinant, determinandoque corpus ſanitati reddit.

Magnam adeſſe cognationem inter febres exanthematicas nemo negat, ſi quam-

---

(*o*) M. du Monceau, Médecin peſionnaire de Tournai, & de l'Hôpital militaire de cette Ville.

(*p*) De Haen ratio medendi.

(*q*) De Haller Apolog. p. 7. Storck. ann. Med. Collin Diſſert. de Feb. Mil. cap. IV. p. 58. & ſeq. Tiſſot, Lettre à M. Hirzel ſur quelques critiques de M. du Haen. &c.

dam tamen affinitatem cum illis habeat Miliaris, præcipue obſervabitur cum febre bulloſâ à clariſſimis Sauvageſio & Planchon deſcripta (*r*), multum analogiæ infert etiam cum ereſypelate veſiculari & morbillis variolidibus. Peculiaribus adhuc & diſtinctis ſymptomatibus ſtipatur Febris Miliaris: ſingularem odorem exhalant puſtulæ, majori punctura ac pruritu Miliaria ægros afficiunt quàm nulla alia exanthemata, præterea admodùm inſtabilia ſunt, mox comparent, mox evaneſcunt, & hinc ſyptomata jam leniora jam graviora inferunt. Febres exanthematicæ per totum orbem propagantur, nulli ætati nec ſexui parcunt, contra verò Miliaris quaſdam tantum regiones occupat & interdum epidemicè graſſatur, mulieres præſertim puerperæ huic morbo ut jam diximus, magis ſunt obnoxiæ. Superiùs allata attentè perpendenti, & comparatione factâ, facilè eluceſcet diagnoſis.

Si ullo in genere acutorum morborum ſalutem vel mortem prædicere incertum atque difficile ſit, profectò in Febre Miliari

---

(*r*) Noſolog. Méth. tom. II. p. 430. Planchon, Diſſert. ſur la Fiévre Miliaire p. 75.

liari. Ita nimirum inconſtans & fraudulenta eſt illius natura ut practicos oculatiores requirat, nec-non Doctiſſimos ſæpè fallat. Multiplici enim obſervatione conſtat ægros præter expectationem obiiſſe, cùm pridie valdè ſymptomata remiſiſſent, plura exempla refert celeb. Fanton.

Miliaria rubra albis mitiora ſunt & minus periculoſa (*s*), raró poſt ſe trahunt gravia ſymptomata. Si inter illa immiſceantur vel comites habeant petechias malum eſt. Si puſtulæ modo appareant, modo evaneſcant, mali eſt ominis, ſi retrocedant cum exacerbatione ſymptomatum, peſſimi. Diarrhæa, ait celeb. Hamilton timenda eſt apud puerperas, ne lochiorum flùxus impediatur.

Majùs diſcrimen afferunt puſtulæ quæ vel opacæ ſunt, vel claræ, cryſtallo ſimiles è quibus ultimis nemo evaſit, ſi fides adhibenda ſit lentilio. Metum incutiunt papulæ adeò minutæ vel demiſſæ ut vix percipiantur, quibuſcunque ſociantur gravia ſymptomata. Quo magis, inquit Nenterus, confertim erumpunt puſtulæ

(*s*) Contrarium obſervavit meritiſſimus Collin Milia rubra quandòque ſaltem æquè mala ac alba eſſe contendit. ibid. p 28.

Miliares rubræ, eò citiùs ſymptomata conjuncta mitigantur. Convulſiones quæ morbum inchoant aut eruptionem præcedunt benignæ, quæ puſtularum ſubſidentiam ſequuntur exitiales (*t*).

In principio & augmento morbi ſudatio nihil boni portendit, ſi appareat cum pulſu adſtricto malè ominandum eſt, necnon ſæpè mortem infert, ſi cum delirio perſeveret. Pulſus magnus atque elatus bonam ſpem alit, minor affulget ſi ſit durus, celer & contractus, parvus autem inæqualis & tremulus mortem prænuntiat. Recidiva expectanda eſt ſi morbo ſoluto nulla aut pauca ſequatur cuticulæ decidentia, perſiſtant verò aliqua ex ſymptomatibus convulſificis (*u*).

Dum complicatur Febris Miliaris plus minus-ve periculoſa evenit ratione morbi quâcum conjungitur.

Ut clariùs pateat Miliarium hiſtoria dicenda quædam nobis ſuperſunt de cadaverum apertura.

Obſervatio nos docet hominum hoc morbo ereptorum cadavera citò & intolerabiliter fœtere, quod confirmatur

---

(*t*) Sauvages Noſolog. meth. tom. II. p. 400.
(*u*) Allioni Tract. de Feb. Mil. p. 63.

exemplo ſequenti mulieris quam fervente æſtate Febris Miliaris acutiſſima ſuſtulit. Tantus enim putor tamque intolerabilis fuit, refert illuſtr. Fanton ut totam pænè domum infecerit, ac nemini, in cubiculo ubi mortuum corpus jacebat, diu verſari licuit. Intumeſcunt corpora & calorem tenaciſſimè ſervant, quædam illorum partes nigræ aliquando reperiuntur, è naribus crebriùs ſtillat ſanguis: multos illius grumos in vaſis majoribus & ſinubus cordis vidit Hamiltonus, ſanguis tamen qui è diſciſſis fluebat, lintea inficiebat colore pallido. Vaſa capitis venoſa cruore turgida tantum obſervavit Allionius. Apud plures ex purpura mortuos in conſpectum ſe præbuerunt tunicæ inteſtinorum, præſertim villoſa, quæ ſemper inflammatæ & corruptæ apparuerunt, quod maximè ex retroceſſu puſtularum cutanearum eveniſſe. Refert Joannes-Baptiſta Blanchus in mulieribus purpura defunctis quandoque uterum aliquo loco inflammatum inveniſſe, mortis causâ ſcapelli aciem effugiente. Phlogoſem ſolùm in utero puerperæ animadvertit Bianchi. Inteſtina flatibus diſtenta ſæpè obſervantur, nec non in variis abdominis partibus apoſtemata reperiuntur. Antequam huic digreſſioni finem imponamus, è re fore nobis videtur

observationem recensere quam dedit autor anonymus (*x*) : aperto puerperæ corpore circa majores venas præsertim cavam , copiosa hinc & illinc in extimis earum tunicis emphysemata, ut ipse ait , hydatica reperta fuerunt, nec non plura in altero ovario & passim aliqua in toto abdomine.

In curatione Febris Miliaris methodus generalis præscribi non potest, quia multum variat ratione ætatis, sexus, temperiei, naturæ morbi, & variæ aeris constitutionis, Cui semper attendere debet Medicus monente Ballonio. Diversimodè adhiberi debent auxilia medica, indicationes adimplendo conducent quæ dicenda habemus. Febris in debito moderamine retinenda est, qui refrigerantibus semper uteretur, inquit celeb. Collin, non minorem errorem committeret quàm qui ad stimulantia confugeret. Depellendo huic morbo sola nonnunquam natura sibi sufficit : si vires ejus labascere videantur, & eruptio sit difficilis illam promovere opus erit lenibus diaphoreticis qualia suppeditat infusum florum sambuci, tiliæ, vel cammomillæ : pulsus aliquandò minus

(*x*) Act. Med. Berolii ann. 1714.

eſt, principium vitale obruitur, deficiunt vires, tunc ad fortiora excitantia confugiendum eſt; (cardiaca nonnunquam danda eſſe fatetur Haenius ut labaſcens natura ad bonam criſim animetur). Veſicatoria hîc maxime conveniunt nuchæ, ſuris, vel femoribus applicata. Camphora in hoc caſu à multis deprædicatur tanquam efficaciſſimum remedium, nec non uſus vini multùm congruit: ſi nervos recreare opus ſit ut evenit aliquoties moſchum adhibere bonum eſt, caſtoreum etiam ſuadent quidam, illiuſque effectus laudibus extollunt: indicatur pariter cortex Peruvianus qui mirè ſuccedit, ſi Febris Miliaris ſe prodat ſub genio remittentis vel intermittentem mentiatur (*y*), multum quoque utilitatis confert modo ut evacuentur primæ viæ.

Non unanimis eſt autorum conſenſus de ſanguinis miſſione in Febre Miliari, puerperis Miliaribus puſtulis infectis præcipuè cùm lochia ſuppreſſa ſunt omninò neceſſariam eſſe contendunt Hoffmannus & Mollinari, plus minus-ve repeti debet ſi æger ſit juvenis, plethoricus, nec non

(*y*) Equidem hoc affirmare poſſum, plurimos, qui hoc morbo perierunt, ſervari potuiſſe, ſi ad Febris typum, animum attentiùs Medici adhibuiſſent. Fordyce ibid. p. 72. id. ibid. p. 97, 98. 99.

pulſum durum, plenum & velocem habeat. Sudoribus corpore diffluente venam ſecare non licet, vel tempus opportunius expectandum eſt (z), illorum tamen præſentia terreri non debet Medicus, poſito quod pulſus prædictas qualitates ſervet, vel adſit inflammatio quædam peculiaris: à ſanguinis miſſione abſtinendum eſt in debilitatis & cacochimicis, nec non dum adeſt putridæ humorum diſſolutionis indicium. Eruptionis tempore ſanguinem fundere plurimi verentur, hunc metum deponere in quibuſdam caſibus utile eſt quod evincitur obſervatione ſequenti. Medicus quidam primarius famulæ cuidam cum periculum eſſet ſuffocationis, vigente eruptione ſine ulla noxa ſanguinem detraxit: ejus ego abhinc triennio ſecutus exemplum in pleuritico cui purpura aderat, idem ad quartam vicem auſus ſum facere, cum ingenti delirii & puncturæ lateris levamento, ſegete Miliari brevi quam maxime aucta: adeo ut numeroſiorem vix unquam conſpexerim *(a)*.

Emetica conveniunt initio morbi ut eliminentur primæ viæ præſertim dum adſunt nauſeæ vel ad vomitum propenſio,

(z) Mead monita & præcepta Medica p. 18.
(*a*) Fordyce ibid. p. 51, 52.

nec non omnia illa quæ ſaburram redundare denotant, eruptioni non obſunt, imò ſæpius illi favent, huic ſcopo inſervit tartarus ſtibiatus à quo abſtinere amant quidam Medici, & radicem ipeçacuanhæ ſeligunt; vomitoria adhibere ſuadent nonnulli niſi præmiſſo oximellis uſu magnâ aquæ copia diluti.

Cathartica rarò uſurpantur in Febre Miliari (*b*); blanda ſemper & acidula in uſum vocari debent ut v. g. manna, tamarindi, cremor tartari &c. In decurſu morbi non conveniunt, ad declinationem tantum illa adhibere fas eſt, imò neceſſarium recidivæ metu, ſanationiſque ſtabiliendæ ratione, ut tempeſtivæ purgationis utilitas comprobetur: obſervationem de quâ loquitur Hamiltonus proferre ſatiùs eſt; puerpera ſiccatis jam puſtulis denuò in difficilem reſpirationem incidit, tribus autem ſponte ſubſecutis dejectionibus difficultas ſpirandi omninò ceſſavit. Non omitti debent enemata ſi alvus ſit adſtricta, emollientia ſeligere oportet ex

(*b*) Catharticum periculoſâ ſane aleâ in purpura experimur, niſi urina concocta puſtulæ-ve jam ferè fuerint exſiccatæ. Puerpera purpura laborans cathartico leniore ſumpto eodèm die mortua fuit. Fordyce ibid. p. 57.

lacte tepido v. g. decocto florum malvæ, camomillæ & foliorum parietariæ utendum est.

Circumspectè recurrendum est ad hypnotica cùm sæpius illa nocent quàm prosint (*c*), adjuvare possunt dum vigil est ægrotus, dolet, inquietudine vexatur, spasmo laborat & pustulæ difficulter prosiliunt. Suo non carent usu diuretica quæ magis convenire nobis videntur in Febre Miliari puerperarum & in lacte devio.

Hæc sunt quæ adimplenda veniunt in Febre Miliari simplici, si sit complicata varias considerationes exigit, ejusque curatio dirigatur ad utrumque morbum, symptoma urgentius debellari debet non omissis Miliaribus.

Notanda quædam supersunt circa regimen ægrotantium: diætam exactè observabit æger; cremores hordæi, oryzæ vel avenæ in principio hauriet, & sensim vires consulendo juscula carnea epotabit quibus herbæ utiliter incoquentur: illorum potus erit diluens, temperans, propinari possunt v. g. aqua pulli, vituli, serum lactis cui paulum salis essentialis acetoselliæ quidam adhibere solent cum

---

(*c*) Allioni Tract. de Miliarium origine n°. 331.

ægrorum levamine : inutilia non ſunt acida vegetabilia ut limonata v. g. decoctum acetoſæ & cichorii (*d*). Tempore eruptionis calidiuſculus ſit potus & leviter diaphoreticus. Mente tranquilla ægri conſtent, mœrores, triſtitiam & metum fugiant ; contra verò ad ſalutem proximam ſemper intenti ſint. Atmoſphera cubilis temperetur, putridi aeris conclavis in quo æger decumbit excluſio neceſſaria eſt ; nec ille adſtantium copiâ nimiove calore eſt exæſtuandus (*e*). Cavendum etiam ne frigus ſuſcipiant ægri, ejuſque admiſſione retrocedunt Miliaria. Stragulis ægri tegendi ſunt ad calorem naturalem, & lenem diapnoem ſervandam non autem ad illos ſuffocandos (*f*). Linteorum quæcunque ſint circa illos, & ſtragulorum mutatio differatur quantum fieri poterit : illud hyeme multo magis advertendum eſt quam æſtate. Induſium tantum mute-

---

(*d*) Æſtivo tempore vegetus juvenis Miliari Febre vehementi laborabat cum interno ardore in dies augeſcente, linguâ flavâ, motibus ſpaſmodicis &c., in decurſu morbi qui felicem exitum habuit, initio ſimplex decoctum cichorii, poſteà cum additione acetoſæ largiter bibebat. Fanton ibid. p. 215.

(*e*) Fiſcher ibid. p. 92.

(*f*) Idem.

tur ſi ſudoribus diffluat corpus, ne nimis ſit calidum obſervando.

Si quocunque caſu vel infortunio, præter Medici expectationem, Miliaria retrocedere contingat, totis viribus ut ſuum locum repetant conari debet Medicus, alioquin de ægro conclamatum eſt. In retropulſione Miliarium lenia diaphoretica adhibere oportet, potus tepidi propinandi ſunt: calor lecti, frictus cum linteo præſertim vapore ſuccini imbuto multum ſolatii afferent. Si hæc præſidia ſint inutilia, ſtatim recurrendum eſt ad veſicantia quorum uſus eximius eſt, quæque ſæpiùs locum merentur in Febre Miliari, indicantur v. g. dum puſtulæ non elevantur, ſed levis aliquis ſolum modo rubor cum minutiſſimis quibuſdam puſtulis in cute conſpicitur & venenum in cute profundiùs hæret, potiori jure etiam in albis Miliaribus quàm rubris conveniunt. Camphora jam laudata ſub formâ emulſi vel julapii cum liquore anodino Minerali mixti fauſtè uſurpatur. Hoc remedio ſæpè vtitur clariſſimus Storck ut patet ex ejus obſervationibus (g). Camphoræ uſum valdè commendat Illuſtr. Vanſwieten mo-

(g) Storck ann. Med. prim. p. 71.

do sequenti illam præscribere solebat: recipe aceti uncias X. sacchari albi uncias II. camphoræ drachmam I. quibus addantur guttæ aliquot spiritus vini ut rectè dissolvatur. Cochlear hujus mixturæ quâque horâ hauriendum suadet, donec efflorescant Miliaria *(h)*. Dum pustulæ difficilè prosiliunt vel evanescunt, cum fiduciâ ad camphoram & vesicatoria recurrebat non satis laudandus Fordyce. Inter auxilia quæ Miliaria revocare valent enumerari debet etiam balneum calidum cujus ægregios effectus obtinuit Medicus Parisiensis *(i)*. Clarissimus Marteau plures ægros doluit qui hâc unicâ viâ evadere potuissent, ni obstitisset vulgi præjudicium, sed magno cum successu in hoc casu pediluvio calido usus fuit, nec-non balneum vaporis utiliter adhibuit. Non dubitat Vir illustr. quin valdè proficua fuissent balnea & semicupia calida, modo ut opportuno tempore in usum venirent, & ægri à frigore immunes serventur, dùm è balneo exeunt *(k)*.

Tandem superest ut quædam brevissi-

(h) Maladies des Armées p. 182.
(i) Gourlés de la Motte.
(k) Marteau, Traité des Bains d'eau douce.


mè proferramus circà ſequelas Febris Miliaris. Morbo ſublato frequenter ſuccedunt artuum inferiorum tumores & calor hecticus(*l*), intumeſcit aliquoties totum corpus vel in aſcitem æger delabitur : rariùs evenit quod in nobili matrona adnotavit J. C. Brunnerus etenim præter alia graviora incommoda, etiam nodi circa digitorum articulos conflati ſunt (*m*). In mammis abceſſus fiunt, depravatur memoria, fluxus lochiorum nimius ſupervenit cum debilitate, languore, & diminuto appetitu conjunctus. Ægrotantes proni ſunt ad ſudores, furunculis afficiuntur, nec-non ſucceſſive apparent puſtulæ Miliares, ita ut ſemper novæ recrudeſcant, & ſenſim in chronicâ degenerant Miliaria acuta.

Hæc varia incommoda auxiliis appropriatis oppugnari debent : multum opis in genere conferunt cathartica plus minus-ve repetita, utiliſſima ſunt tonica inter quæ eminent cortex Peruvianus & martialia:eſſentia dulcis Stahlii, ait Doctor Planchon (*n*), & decoctum amarum fauſtè

(*l*) Hamilton ibid. 395 & 96.
(*m*) Fanton ibid. p. 198.
(*n*) Differt. ſur la Fiévre Miliaire p. 136.

etiam adhibentur : in vino ſalviæ infuſum à quibuſdam laudatur nec-non vinum Hyſpanicum. Cutis aliquandò arida manet & ſæviſſimo pruritu queruntur ægri ad cujus ſanationem maximè conveniunt balnea tepida : de his fuſiùs agere vetant diſſertatiunculæ limites, nihil quoque de Miliari chronicâ dicemus, quia noſtri inſtituti non eſt.

FINIS.



RR. DD. PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex, nec-non Nosocomiorum Galliæ generalis Inspector.*

DISPUTATURI.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROI.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *nunc Cancellarii & Judicis Coadjutor.*

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

ANTECESSORES REGII VETERANI.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor emeritus.*

